

gendae, & intelligendae sunt, hae enim refutationes rationes suggerunt, quibus infidelium obiectiones eneruantur. Qui praeterea scripturam S. diligenter legunt, nexumque sententiarum cognoscunt, facile rationes inuenient, quibus sapientia, bonitas, & iustitia Dei, quae ex dispensatione gratiae erga genus humanum elucescit, vindicatur. His praesidiis imprimis ministri instructi sint, qui in urbibus maioribus, in quibus illud malum frequenter serpit, officio sacro funguntur.

3.) Pro concionibus non solum moralia, sed etiam dogmatica sunt proponenda, ne populus fidelis in opinionem incidat, religionem Christianam saltem moralia comprehendere. Sunt infideles, qui candidatis ministerii suadent, ut leges morales & virtutes saltem inculcent auditoribus suis. Et hoc ea ratione faciunt, quia putant, leges morales, ex ratione cognitae, & in sancta reuelatione denuo publicatas, veram constituere religionem; mysteria vero ipsumque redemptionis opus non pertinere ad eam. Sed qui hoc statuunt, generi humano fontem omnis solatii, sanguinem Iesu Christi occludunt, & Iustificationis doctrinam ex religione auferunt, vitaeque aeternae, quam fide consequimur, priuant, quia nullis operibus peccata expiare possumus. Moralis quoque doctrina secundum reuelationis principia est proponenda. Sunt infideles, qui putant, carnales cupiditates esse naturae humanae impressas, nec posse criminales fieri, si modo ad propagationem & conseruationem generis humani intendantur. Vid. *Christianismum tam antiquum, quam mundus est.* p. 345. Hanc opinionem fouent infideles, seque felices existi-

existi-